

eiusdem inspirationis, ita enim fieri facile potest in locutione pure mentali. Neque in hoc comparandus est materialis pulsus cum spirituali, quia materialis pulsus solum objective immutat sensum, et media specie efficit auditum: pulsus autem divinus mere internus, si intellectualis sit, immediate ac formaliter efficit intellectum, et reddit illum attendentem, et aliquid apprehendentem vel intelligentem, et ideo eodem actu percipit intellectus eandem Dei locutionem, quatenus perceptio mentis in se virtualiter reflectitur: nam qui aliquid denuo apprehendit, simul virtute concipit quod aliquid apprehendat et consequenter quod ab aliquo excitetur et moveatur. Si autem inspiratio sit in voluntate, talis motus non percipitur nisi per intellectum, atque ideo per alium actum ex priori naturaliter resultantem, et ita ibi clarius distinguitur pulsus ab auditu.

CAPUT IV.

ALIIS FUNDAMENTIS PRIMÆ SENTENTIÆ SATISFIT, ET QUOD SIT PRINCIPIUM PROXIMUM EFFICIENS GRATIÆ EXCITANTIS INQUIRITUR.

1. *Dubium incidens, quæ causa proxima concurrat cum potentiis vitalibus ad actus gratiæ excitantis.* — Alia fundamenta primæ sententiæ petunt dubium, si actus gratiæ excitantis effective fiunt a nostris potentiis, qua virtute proxime, vel quo adjutore proximo illos efficiant; supponimus enim nunc illos actus esse supernaturales, et ideo non posse a sola naturali potentia virtute sua elici; propter hanc enim rationem præcipue moti sunt dicti auctores ad dicendum infundi nobis aliam gratiam priorem his actibus, quæ sit principium illorum, quam volunt esse rem creatam et in hærentem potentiæ, re ipsa distinctam ab actu gratiæ excitantis, et principium ejus, quam alii vocant motionem virtuosam puram, ita ut qualitas non sit; alii dicunt esse qualitatem actualem seu transeuntem in nobis receptam, et nullo modo a nobis factam.

2. *Assertio.* — *Solus Spiritus Sanctus immediate per se ipsum elevat potentias ad eliciendos tales actus gratiæ excitantis.* — *Probatum primo ex auctoritate.* — Ego vero censeo nullam talem entitatem infundi, quæ sit prior, tempore vel natura, ipso actu gratiæ excitantis, vel principium proximum ejus, sed solum Spiritum Sanctum immediate ac per se ipsum

infundere hos actus elevando potentiam ad conficiendum illos. Probatum primo ex his quæ diximus, nimirum gratiam excitantem esse primam quæ nobis infunditur, ut Patres et Concilia docent. Dicent fortasse sub hac excitante gratia includere Concilia illam priorem gratiam, quæ ad eliciendam inspirationem infunditur. Sed qui sic respondet, ostendere hoc debet ex ipsis Conciliis aut Patribus, in illis enim nullum vestigium talis gratiæ invenimus; quin potius ipsam inspirationem ponunt ut gratiam primam, et præterea indicant immediate infundi ab ipso Spiritu Sancto, et non mediante alia qualitate. Unde Concilium Arausicanum, canon. 4, de hujusmodi inspiratione ait fieri in nobis per Sancti Spiritus infusionem et operationem, et per hanc dicit præparari voluntatem a Domino, et cap. 6, similiter vocat inspirationem et infusionem Sancti Spiritus, et eodem modo loquitur Concilium Tridentinum. Unde etiam communiter Theologi antiqui non docuerunt infundi nobis aliquod donum gratiæ per modum actus primi, præter habitus infusos. Certum est enim, ad eliciendum actum gratiæ excitantis non infundi habitum, nullus enim supernaturalis habitus infunditur adulto, nisi prævio consensu libero, tanquam necessaria dispositione, ut infra dicitur; ergo talis gratia quæ sit prior actu secundo, et principium ejus, et non habitus, non habet fundamentum in aliqua doctrina Patrum aut Theologorum.

3. *Secundo, ratione impugnando duos modos quibus hæc gratia potest explicari.* — Deinde ratione impugnatur tale genus gratiæ, expendendo dictos duos modos explicandi hanc gratiam: prior dicit esse spiritualem quamdam et supernaturalem motionem virtuosam, quæ est res distincta ab actu vitali, et a solo Deo immissa, et non est qualitas vel formaliter, vel realiter, sed pura tantum motio virtuosa, per quam Deus dat virtutem potentiæ, vel elevat illam ad hos actus efficiendos. Hic vero dicendi modus supponit hanc motionem constituere potentiam in actu primo ad hos actus eliciendos, et nihilominus ait non esse qualitatem, sed puram motionem, quod gratis dictum videtur, nam in potentiis animæ formæ constituentes illas in actu primo sunt qualitates, ut in sensibus externis et internis videre licet, præterquam quod, generaliter loquendo, secundum Philosophorum principia, non intelligimus qualis sit motio quæ tantum sit motio, et non sit qualitas nec res alterius prædicamenti, cum non possit intelligi motio,

quin ad aliquem terminum intrinsecum tendat: in motione autem spirituali non potest intelligi terminus actionis vel motionis, nisi qualitas; omitto enim locum, aut ubi qualecumque illud sit, quod in rebus spiritualibus esse potest, quia in præsentem considerationem venire non potest: si ergo motio illa nullam qualitatem infundit intellectui aut voluntati, non habet intrinsecum terminum qui per illam fiat; quomodo ergo est pura motio, vel ad quid movet? Eo vel maxime quod talis motio, si ponitur per modum actionis, est actio transiens, nam est ab agente Deo, et recipitur in passo. Non solent autem dicti auctores actionem transeuntem in Deo concedere, neque scio auctorem aliquem actionem transeuntem sine termino hactenus posuisse. Vel illa motio est tantum per modum passionis, et sic concipi non potest nisi per modum viæ, ac proinde per modum tendentiæ ad aliquem terminum: nam si nec est via, nec tendentia, erit profecto entitas aliqua facta a Deo in tali potentia solum per modum effectus. Oportebit ergo ut sit qualitas, aliqui extra omnia prædicamenta vagabitur, ut facile patebit discurrere per singula: id autem concedere philosophicum non est, neque etiam est quod Theologiæ attribuamus quod nos cogat, contra principia philosophiæ, hujusmodi entitates introducere.

4. *Aliud incommodum contrariæ sententiæ.* — Alia enim difficultas in illa sententia occurrit, quia defensores ejus, ad omnem actionem causæ secundæ, alias in actu primo plenissimo constitutæ, requirunt similem rationem virtuosam præviam, ut infra videbimus. Unde etiam asserunt quod, licet potentia sit instructa et elevata per habitum infusum, indiget illa motione virtuosa primæ causæ, ut possit actum infusum elicere; ergo signum est illam motionem non postulari tunc ut principium proximum efficiendi actum infusum, nam habitus est hujusmodi principium sufficiens; ergo, etiam respectu actuum gratiæ excitantis, illa motio (si detur) non est principium proximum, ex parte causæ secundæ; sed pertinebit tantum ad concursum universalem primæ causæ. Unde ulterius sequitur etiam, juxta illam sententiam, illos actus elici a potentia nuda sine alio actu primo supernaturali ipsi in hærente, qui cum illa sit principium proximum actus gratiæ excitantis; quia illa motio virtuosa per se sola non supplet vicem habitus quando ille deest, alias superflue daretur simul cum habitu.

5. *Præcluditur evasio duplex.* — Duobus modis respondere possunt: unus est, ad hos actus supernaturales, qui sine habitibus fiunt, dari duas motiones virtuosas, unam, quæ sit proprius actus primus, et suppleat vicem habitus. Alius est, dari unam quæ utramque vim eminenter habeat. Priorem modum in dictis auctoribus non invenio, nec videtur certe verisimilis tot gratiarum seu occultarum motionum multiplicatio, quæ neque probari nec satis intelligi possunt, præterquam quod frustra fit per plura, quod per unum fieri potest; cur enim non poterit? Vel si duæ motiones postulantur, cur non plures etiam sine certo termino postulari poterunt? Alium ergo modum dicti auctores eligunt, a quibus nunc ulterius interrogamus an illa motio sit ejusdem rationis, quando datur ad operandum, tam ex habitu, quam sine illo; an vero sit diversæ rationis. Hoc posterius non videtur verisimile, quia motiones illæ supponuntur tendere ad actus et quasi terminos ejusdem rationis: motiones autem sumunt speciem a terminis; cur ergo erunt illæ diversæ rationis? Nam quod is cui datur quælibet illarum habeat vel non habeat habitum, valde accidentarium est, et in hoc etiam distinctiones multiplicare sine alia ratione vel explicatione philosophicum non est.

6. *Illæ motiones nequeunt esse ejusdem rationis.* — Unde illimet auctores priorem partem eligunt, dicentes motiones illas esse ejusdem rationis. Ex quo necesse est sequi, ut vel illa motio data potentiæ non habenti habitum, non suppleat vicem habitus, nec constituat potentiam in actu primo, nec compleat illam in ratione causæ proximæ, sed solum sit concursus causæ primæ, quod destruit sententiam illorum et nostram confirmat; vel certe oportebit dicere eum qui operatur ex habitu infuso, recipere duos actus primos, habitum scilicet, et motionem. Sequela patet, quia illa motio data potentiæ non habenti habitum, formaliter constituit illam in actu primo; ergo etiam data potentiæ habenti habitum dabit eundem effectum, quia neque habitus præexistens formalem effectum motionis impedire potest, neque forma potest esse in potentia, quin illi suum effectum formalem conierat. Habet ergo illa potentia duos actus primos, duasque virtutes activas proximas ad eundem actum, quod superfluum est.

7. *Supradictas motiones non esse ejusdem rationis amplius probatur.* — Præterea, ex illo duplici actu primo, major prodiret ac-

tio quam ab altero tantum, sicut a duplici luminoso major fit illuminatio; quia si motio est per se sufficiens actus primus, sine miraculo impediri non potest quin, operante potentia cum habitu, ipsa etiam motio cooperetur, non solum ut concursus Dei, sed etiam ut actus primus potentiae. Ex quo ulterius posset quis facile inferre superfluos esse habitus operativos infusos, cum nunquam operentur sine aliquo actu primo magis actuali, de se dante sufficientem virtutem in actu primo ad efficiendos eosdem actus. Neque tandem dici potest, illas duas motiones esse ejusdem rationis in operante sine habitu et cum illo, et nihilominus unam illarum ratione suae entitatis dare vim agendi habitus, et alteram de se non habere tantam perfectionem, quia si forma est ejusdem rationis, etiam vis agendi et formalis effectus ejusdem rationis esse debet. Et haec obiter de ista motione sint dicta, nam plura in sequentibus sunt dicenda.

8. *Proponitur alter explicandi modus per qualitatem transeuntem. — Rejicitur.* — Superest alter modus explicandi gratiam praevidiam ad hos actus excitantis gratiae, qui solum differt a praecedenti, quia non dicit hanc gratiam esse motionem, sed qualitatem quamdam actualem, seu transeuntem, quae sit principium supernaturale et proximum talis actus. Cujus opinionis fundamentum ex parte est idem, scilicet, quod non potest potentia elicere actum secundum supernaturalem, nisi habeat actum primum ejusdem ordinis sibi inhærentem. Quod autem hic actus primus sit qualitas, probari potest argumentis factis contra priorem sententiam: vocatur autem a sic opinantibus actualis, seu transiens, quia solum datur ut actualiter efficiat, et quia tantum durat quamdiu efficit, seu quamdiu durat operatio propter quam datur, sicut ictus impressus lapidi, ut sursum moveatur, dici potest qualitas actualis et transiens, propter similem rationem; in reliquis vero convenit haec opinio cum praecedenti, nam etiam qui de illa gratia sic sentiunt, ponunt praevidiam gratiam per modum concursus: et ita eodem modo procedit discursus factus in praecedenti opinione. Nam si per qualitatem intelligunt solum concursum praevidium, ille non satis est ut suppleat vicem habitus, neque ut constituat potentiam in actu primo: si vero in his actibus gratiae excitantis, praeter concursum praevidium, ponunt qualitatem realiter ab ipso distinctam, sic multiplicantur etiam et auxilia gratiae sine fundamento auctoritatis aut rationis; vel sen-

tiunt ipsum concursum praevidium includere illam qualitatem, et sic aut eadem qualitas dabitur homini operanti per habitum, quod etiam superfluum est, ut declaravi, vel concursus praevidius erit distinctae rationis in eo qui cum habitu, vel sine habitu operatur, quod ipsi non admittunt.

9. *Dubium secundum. — Nova ejusdem qualitatis admittendae ratio.* — Quidquid vero sit de concursu praevidio, potest quis dicere hanc praevidiam qualitatem per modum actus primi esse necessariam ad hos actus gratiae excitantis eliciendos per se et propter insufficientiam potentiae, etiamsi fortasse alius concursus praevidius necessarius non sit. Quod si haec necessitas vera est satisque fundata, non tantum in actibus gratiae excitantis, sed etiam in multis actibus plene deliberatis et propriae gratiae cooperantis, qui tempore vel natura infusionem gratiae habitualis antecedunt, invenitur, et ideo, tractando de illis actibus in ordine justificationis, examinandum est a quo principio proximo supernaturali procedunt, et ibi commodius et universalius opinionem hanc expendemus. Nunc ergo solum dicimus, ad quaestionem praesentem parum referre, sive illa qualitas infundatur cum actu gratiae excitantis, sive non: nam si fortasse infunditur, computatur tanquam unum donum cum ipsa excitatione, et ipsa per se non meretur nomen gratiae excitantis; neque Augustinus, neque Concilium Tridentinum aliter ea voce utuntur, nisi ad significandam gratiam quae potentiam formaliter excitet, ac moraliter moveat et dirigat, vel trahat, afficiat, vel regat. His enim et similibus verbis perpetuo Augustinus utitur, cum excitantem gratiam describit, nec potest ita admitti qualitas praevidia et efficiens excitationem, ut dicatur propriae auxilium excitans, nisi utendo terminis aequivoce, et praeter usitatum morem Conciliorum, alioquin etiam Deus ipse poterit dici gratia, vel auxilium excitans, nam est principale principium efficiens in nobis excitationem. Fateor tamen contentionem hanc fore tantum de usu vocis, si semel qualitas illa admittatur.

10. *Assertio secunda. — Nulla hujusmodi qualitatis necessitas est, neque usus. — Prior pars ostenditur.* — Ego vero qualitatem illam neque necessariam esse censeo, neque esse cur credamus illam infundi; priorem partem ostendo, quia probabilius est posse Deum elevare potentiam animae, ad eliciendum actum supernaturalem, sine habitu, et sine qualitate inhærente supplente vicem ejus, scilicet adju-

vante ipso Deo, et per seipsum supplente efficientiam habitus; quod de visione beatifica suo loco probavi, et infra cap. 6 et 8 latius dicam, quia cum actus non sit vitalis ex influxu habitus, sed ex influxu potentiae vitalis, qui est distinctus, et in suo genere proximus, potest Deus per seipsum facile supplere efficientiam habitus, quia, secluso vitali influxu, quidquid Deus potest facere per causam secundam, potest facere se solo; ita ergo in praesenti potest infundere immediate ipsi potentiae actum vitalem gratiae excitantis, cooperante simul potentia, et in actum illum vitaliter influente: hac ergo ratione non est necessaria simpliciter talis qualitas.

11. *Posterior pars.* — Alteram vero partem de facto, quam verisimiliorem credimus, per rationes supra factas nunc tantum probamus; alias enim in citatum locum remittimus quae de actibus liberis specialiter procedunt, in quibus illa sententia majorem habet difficultatem quam in his actibus gratiae excitantis, eo quod necessarii sint; nihilominus tamen ad illos efficiendos non credimus dari talem qualitatem, quia forte non est possibilis spiritualis qualitas, quae non sit actus vitalis, sed per modum actus primi, et sit natura sua transiens, et quasi dependens a suo effectu; nam, si ab illo non pendet, cur, cessante illo, statim corrumpitur, cum sit in subjecto incorruptibili, et a nullo contrario expellatur, neque habeat aliam causam corruptionis, praeter suspensionem influxus divini, per quam etiam habitus infusi, imo et anima ipsa potest esse inanimata.

12. Neque potest assignari ratio cur suspensio illa divini influxus sit magis connaturalis aut debita illi qualitati quam habitibus, et aliis similibus. Praeterea, quia quoties potentia operatur supernaturalem actum sine habitu infuso, non elicit illum connaturali modo, nam ad hoc datur habitus, et ideo non est necesse ut ad operandum eleveatur per qualitatem inhærentem praevidiam, nam cum illa non sit permansura in potentia post operationem, et tunc potentia eleveatur ad agendum praeternaturali modo, tanquam Dei instrumentum, supervacanea est illa qualitas, cum Spiritus Sanctus ipse immediate possit uti potentis animae illo modo, infundendo illis illuminationem ac inspirationem, ut Concilia magis indicant.

13. *Instantia repellitur.* — Neque hinc sequitur quod primum auxilium gratiae sit a nobis vel a natura, integre vel ex parte. Quia imprimis illa gratia excitans principaliter est

a Spiritu Sancto. Deinde datur omnino gratis, et sine ullo merito vel dispositione nostra, imo et sine cooperatione libera nostra, ut statim dicemus; et ob has omnes et solas causas dicitur non esse a nobis, ut constat ex Augustino, lib. 2 contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 9. Deinde intellectus vel voluntas non solum non habet vires naturales ad efficiendum talem actum sufficientes, verum etiam neque ad illum concurrat per potentiam naturalem, sed per obedientiam, tanquam Spiritus Sancti organum, et ideo nullo modo dici potest ille actus esse a natura, licet verissime dicatur ab intellectu vel voluntate a Spiritu Sancto specialiter motis seu elevatis produci.

14. *Satisfit fundamentis contrariae sententiae.* — Et ita facile patet responsio ad fundamenta contrariae sententiae, in primo et secundo capite proposita. Ad principale enim ultimo loco positum, concedimus nunc (quod infra superest videndum) actum gratiae excitantis esse supernaturalem, ideoque non posse fieri viribus naturae, et consequenter esse necessarium principium superioris ordinis adjuvans et elevans potentiam. Dicimus autem hoc principium esse ipsummet Spiritum Sanctum. Ad primam vero replicam, quia illud principium debet esse inhærens, ut constituat potentiam in actu primo, respondemus duplicem, secundum rationem, esse influxum in illum actum, unum intrinsecum et vitalem, qui necessario esse debet immediate ab entitate ipsius potentiae, et ideo respectu illius non constituitur potentia in actu primo per aliquid a se distinctum, sed per potentiam obedientialem, quae ab entitate ejus non distinguitur. Alius est influxus ex parte principii coadjuvantis potentiam ad substantiam actus, et ad hunc influxum, ut connaturali modo fiat, necessarius est actus primus inhærens potentiae; ut autem fiat praeternaturali modo non debito potentiae, satis est quod sit a principio superiori assistente ipsi potentiae, ut est ipsemet Spiritus Sanctus. Neque oportet ad alia proposita in capite primo sigillatim respondere, quia infra explicandum est vitalitatem actus supernaturalis esse posse ab ipsa facultate per potentiam obedientialem influente. Item dictum est quomodo haec gratia pendeat a solo Deo, ut excludit vel meritum, vel naturalem influxum potentiae, non vero ut excludit omnem efficientiam per potentiam obedientialem. Ac tandem manifestum ex dictis est, etiam de his actibus verissime dici non esse nos sufficientes

ad illos habendos a nobis, quasi ex nobis, quia tota efficientia, imo et efficacia illorum est ab Spiritu Sancto, ut declaratum est.

CAPUT V.

UTRUM MOTUS GRATIÆ EXCITANTIS SINT INDELIBERATI, ITA UT EX NECESSITATE, NON LIBERTATE FIANTE.

1. *Status quæstionis.* — Ratio dubitandi esse potest, quia gratia excitans est necessaria ad salutem, et ad bene operandum: motus autem indeliberati, præsertim voluntatis, nihil conferunt ad salutem, quia nec moraliter boni neque meritorii esse possunt; ergo non potest gratia excitans in his motibus consistere. Deinde quoties Sancti postulant a Deo dona gratiæ, non postulant ab ipso motus indeliberatos, sed morales, ac perfecte humanos; ergo signum est indeliberatos motus non pertinere ad dona gratiæ, præsertim quæ sunt ad salutem necessaria; nam omnia hujusmodi dona frequenter postulantur a Sanctis, ut passim in Scriptura constat, et refert late Augustinus in lib. de Grat. Christi, et de Nat. et grat., et de Grat. et liber. arbitr., et aliis, inde ostendens gratiæ necessitatem. Unde e contrario, ex eo quod tales motus non postulantur a Deo, recte inferimus non pertinere ad dona gratiæ. Denique inductione id ostenditur; nam actus fidei liber est, et tamen est gratia excitans ad spem; spes etiam est actus liber, et tamen excitat ad charitatem; similiter timor voluntatis est actus liber, et excitat ad pœnitentiam, et sic de aliis; ergo non oportet ut gratia excitans sit actus indeliberatus.

2. *Assertio.* — *Actus gratiæ pure excitantis sunt necessarii et indeliberati.* — *Est communis.* — *Probatum primo auctoritate.* — Nihilominus dicendum est proprios actus pure excitantis gratiæ liberos non posse esse, sed necessitate quadam sine operantis deliberatione fieri, et in hoc sensu recte indeliberatos dici. Assertio est communiter recepta a Theologis in cap. 2 allegatis; nam Vega tam necessarios putat hos motus gratiæ excitantis, ut homo passive in eis recipiendis tantum se habeat. Alii vero, licet dicant efficienter a nobis elici, dicunt tamen fieri sine cooperatione libera; et in fine ejusdem capituli explicavimus de his actibus sententiam Concilii Arausicani et Augustini, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, utique libere cooperando, propter quod dicuntur hi actus a solo Deo fieri, ut loquitur Augustinus, libro 2 contra duas

Epistolas Pelagian., cap. 9, dicens: *In uno istorum (id est, in actu deliberato) cooperatur Deus homini facienti, alterum vero (id est, actum gratiæ excitantis) solus facit*; ergo talis actus non est liber, quia sine cooperatione hominis libera non fit actus liber. Dices: esto non sit talis actus in se et proxime formaliter liber, nihilominus potest esse aliquomodo liber, quatenus pendet ex aliqua dispositione libera, sine qua non daretur. Respondetur nos nunc loqui priori modo, et cum proprietate de actu libero; deinde addimus, licet fortasse aliqua gratia excitans sit ex priori dispositione libera hominis, nihilominus totam gratiam excitantem hoc modo liberam esse non posse, quia prima dispositio libera priorem excitantem gratiam necessario supponit, ut inferius ostendemus.

3. *Probatum secundo.* — Unde argumentor secundo; nam vocatio est gratia excitans, ut supra visum est; sed vocatio non est homini libera, quia non est in potestate ejus, et ideo non potest ipsi attribui; ergo etiam gratia excitans non est libera. Minor est Augustini, lib. 83 Quæstionum, in 68, dicentis: *Si quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit*, quia nimirum venire est liberum homini, non autem vocari; et ideo Paulus primum prædestinationis effectum posuit in vocatione, dicens ad Roman. 8: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*; et in cap. 9, ut declararet opus gratiæ, dixit: *Non ex operibus, sed ex vocante*, quia ex vocatione, quæ a solo Deo est, gratiæ opus incipit, ut late ponderat Augustinus dicta q. 2 ad Simplician., dicens: *Nisi vocando præcedat misericordia Dei, neque credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari*: et infra dicit: *Quia non præcedit voluntas bonam vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur*. Non est ergo nobis libera vocatio; unde multo minus est in potestate hominis quod hoc vel illo modo vocetur, sed in hoc maxime gratia Dei commendatur, ut dixit idem Augustinus libro de Spirit. et litter., cap. 34, ubi docet piam voluntatem divino muneri tribui, quia *visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus, per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem*. Antecedit ergo hæc gratia potestatem hominis, et a fortiori etiam usum libertatis præcedit: non ergo consistit in actu libero, sed necessario.

4. *Probatum tertio ratione ex Augustino desumpta.* — Ratio denique ex eisdem locis Augustini sumitur, quia hæc gratia hominem quasi dormientem vel non attendentem, ad vigilandum vel attendendum excitat; ergo ex modo suo habet ut a foris veniat, et non ab ipso homine; ergo ex propria ratione habet ut non sit libera, et ideo satis indicatur hæc proprietas hujus gratiæ illis verbis: *Ecce sto ad ostium, et pulso*, Apocal. 3; et in ipso nomine vocationis includitur: nam vocatio non est a vocato, sed a vocante: unde est illud Prov. 1: *Vocavi, et renuistis*. Deinde excitatio hæc ab intellectu incipit, quia non potest voluntas nisi per intellectum excitari: intellectus autem excitari potest medio objecto ab extrinseco agente proposito. Primus ergo actus excitantis gratiæ in intellectu est; ille ergo actus non potest esse liber, cum antecedit motionem voluntatis, quæ sola est formaliter libera. Et hoc modo reducit sæpe Augustinus hanc primam excitantem gratiam ad sanctam et piam cogitationem, ut lib. 2 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 8, et de prædestinat. Sanctor., cap. 2, sic interpretans illud Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*. Et eodem modo dixit Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr., *Deum inchoare gratiam in nobis, dum seminat cogitatum*. Est autem quasi naturalis modus operandi voluntatis nostræ, ut, præventa cogitatione aliqua per quam sibi objectum fugiendum vel prosequendum proponitur, statim in actum indeliberatum prodeat, priusquam intellectus plene advertat ut deliberare possit; ut ergo Deus in his motibus gratiæ sese accommodet naturæ, et ut utramque potentiam juvet, per illam cogitationem intellectus statim movet et excitat voluntatem ad aliquem affectum amoris, vel timoris, prosequutionis, aut fugæ, qui proinde indeliberatus est, et per modum motus, quem primo primum appellant.

5. *Effugium.* — *Ocluditur.* — Dices hinc solum concludi unum actum intellectus, et alterum voluntatis, esse non liberum in ordine gratiæ excitantis. Respondetur imprimis hos primos actus non semel tantum in vita esse necessarios, sed singulis temporibus, diebus, seu horis, in quibus mens incipit ad novum supernaturalem actum moveri, postquam prior excitatio et cogitatio omnino cessavit, ita ut neque ipsa, neque virtus ejus manserit, et hac ratione sæpissime hac prima gratia excitante indigemus. Deinde addimus, etiamsi mens jam incoeperit operari, vel etiam delibe-

rare, aut consentire, Deum sæpe immittere novas illustrationes et inspirationes, vel ut intellectus melius et clarius rem apprehendat, vel ut majori firmitate judicet, vel plura intelligat et penetret, vel ut voluntas magis afficiatur, majori cum suavitate et delectatione operando; et isti omnes motus præveniunt usum libertatis, ut per se patet. Addendum vero est, post primam cogitationem et motionem posse etiam subsequi aliquam liberam applicationem mentis ad majorem considerationem rei per illam primam cogitationem propositæ: quia, ordinario et humano modo procedendo, inter illam primam cogitationem et consensum vel dissensum plene deliberatum, intercedit aliquod tempus in quo voluntas, jam excitata per primam cogitationem, et divina gratia adjuta, potest vel applicare intellectum, ut ex illa prima cogitatione magis inquiret et discurrat, vel avertere alias cogitationes, quæ illam primam possunt impedire. Hoc enim est consentaneum connaturali modo procedendi hominis in suo discursu, et progressu mentis, et non repugnat gratiæ, imo est valde consentaneum suavi ejus motioni, ideoque nullam cooperationem liberam impedit, quam voluntas per gratiam reparata possit adhibere. Quod ex antiquis notavit Alensis, 3 part., q. 10, alias 61, membr. 3, artic. 4, § *Ad aliud*; et ex modernis Molina in Concord., disputat. 43; et ideo in assertionem limitate locutus sum de actibus puræ gratiæ excitantis, quia illi soli sunt simpliciter necessarii; cum illis autem misceri possunt considerationes, vel volitiones, aut affectiones liberæ quæ jam non sunt ex sola gratia excitante, sed etiam ex adjuvante, ut infra dicemus.

6. *Ad primam rationem dubitandi, supra num. 1.* — *Ad secundam.* — Ad primam ergo rationem dubitandi in principio positam, respondetur hos actus gratiæ excitantis, præcise spectatos, non conferre quidem ad salutem tantquam per se meritorios vitæ æternæ, neque tanquam dispositiones proprias, quibus homo iste moraliter se ad justitiam disponit; nihilominus tamen conferre multum, ut per eos Deus inchoet in nobis opus gratiæ, præparando voluntatem, et initium bonæ voluntatis illi conferendo, quod sine usu libertatis optime fit. Ad secundam, negamus Sanctos non postulare a Deo hanc gratiam excitantem, contrarium enim constat experimento omnium, qui sapienter et secundum fidem orare didicerunt. Et in Scriptura ejusmodi petitiones sæpe leguntur; hujusmodi enim sunt illæ orationes: